

gido, itaq; volens Aristoteles cuiuslibet seriei principia vno nomine vocare, veluti imperfectum eorum alterum actiuum videns priuationem vocauit, & quodlibet imperfectum vocat priuationem, sicut nigrum, frigidum, graue, terram, & quodlibet perfectum vocat habitum, sicut album, calidum, leue, ignem, lucem, sed tamen ambo actiua. Vnde in 1. 2. Metap. t. 2. ponit analogiam principiorum, & omne contrarium perfectum appellat habitum, & formam, imperfectum q; omne in qualibet serie Priuationem. Elementa, igitur inquit, omnium non sunt eadem, & sunt, sicut dicimus eadem vno modo, hoc est per analogiam, ait esponēs Auerroes, & Alphrod. & non sunt eadem alio modo, hoc est, inquit, simpliciter. Vt elementa corporum sensibilium, quod est sicut forma, quod est in potentia duo primum per se. Substantia verò est ipsa, & quæ sunt exipsis, quorum sunt hæc principia, & si aliquid sit vnum ex calido, & frigido, vt os, & caro, quod enim sit, necessè est sit aliud ab eis. Vbi substantias corporum sensibilium, hoc est elementorum, (sic enim vocat ignem, aerem, aquam, & terram in 2. de gen. t. 6. & 8.) & eorum, quæ ab his fiunt, calidum & frigidum ponit Arist. licet sui oblitus, vel antiquis indulgens ibi addiderit humidum, & siccum, vt alibi aperietur, Et sequitur. Istorum hæc sunt elementa & principia, aliorum autem alia, vt autem dicatur sic in omnibus non est eis, sed non oportet æquare comparationem, vt si aliquis diceret, quod principia sunt tria, forma, materia, & priuatio: sed in quolibet istorum, est diuersum in vnoquoq; genere, in colore album, & nigrum, & superficies, in genere distinctionis temporum, obscuritas lumen, & aer, & existis dies, & nox, itaq; Aristot. contrarium imperfectum actiuum in quolibet genere, vbi est actio ponit, idem in omnibus per Analogiam, & comparisonem, sic materiam, & habitum. Hæc exponens Auer. ait, Quia ens non dicitur vniocè de prædicamentis, dicit, non esse eadem principia simpliciter, & quia manifestatum fuit, quod non sunt diuersa simpliciter, sed quia prædicamenta accidentium constituuntur per substantias, & quoddam antecedit quoddam, dicit scilicet Arist. quod principia sunt eadem proportionaliter, & dedit, ait, exemplum ad declarandum quæ elementa sunt substantiarum, quæ sunt proportione in omnibus, & dicit: quod sunt tria, duo contraria, & vnum subiectum. Ecce quomodo Auerroes ponit contrarietatem in substantijs, & earum principijs veram, quam posuit quoq; in 1. Phy. c. 5. 2. in formis videlicet substantiarum, quod abhi negauit, & subdit hic Auer. Et vnum est quasi forma, & habitus, alterum vt priuatio, quod autem est quasi forma est calor, qui est forma ignis, & aeris, priuatio est frigus, quod est forma terræ, & aquæ. Vbi itaq; Auerroes priuationem vocat formam, licet imperfectam, alteram q; contrarium, & calorem, & frigus non negat esse substantias, quin id confirmat. Nam inquit allegando di-